

2. Videmus etiam non nobiles, non I. Cor. I.  
potentes esse vocatos.

## DE ILLO CO.

I. CHRISTUS ingreditur templum.

V S V S.

1. Exemplo Christi, & nos libenter  
frequentemus templum. A Jove enim  
principium.

2. Atq; nostro officio diligenter fun-  
gamur. Christus missus ad docendum:  
Ergo ingreditur templum & ad patien-  
dum: ergo Hierosolyman.

II. Ejicit ementes & vendentes.

V S V S.

Fideles Ecclesiae pastores, tanquam  
Christi ministri, etiam templi profana-  
tores, ministerio verbi coerceant, pro-  
fanatur autem templum, quando verbi  
divini praedicatione, garriendo, rixan-  
do, &c: impeditur.

III. Sanat caecos & claudos.

V S V S.

Beneficentiae exemplum nobis imi-  
tandum.

IV. Indignantur Pharisei, videntes si-  
gna, & audientes pueros clamantes:

OSI ANNA.

I 2

V S V S.